Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26897
Copyright: Admont, Benediktinerstift

56

tamen ait apostolus. Et si noveramus christum secundum carnem. sed iam non novi
mus. Ille quippe qui non solum pervenientibus possessionem. sed et viam se
voluit prebere venientibus ad principium viarum. voluit carnem
assumere. unde est et illud. dominus creavit me in principio viarum suarum.
ut inde inciperent qui vellent venire. Apostolus ergo quamvis adhuc am
bularet in via et ad palmam superne vocationis sequeretur vo
cantem deum. tamen ea que retro sunt obliviscens et in ea que ante sunt exten
tus. iam principium viarum transierat. hoc est eo non indigebat. a quo
tamen aggrediendum et exhortandum est iter omnibus qui ad veritatem
pervenire et in vita eterna permanere desiderant. Sic enim ait. Ego
sum via et veritas et vita. Hoc est per me venitur. ad me pervenitur.
in me permanetur. Cum enim ad ipsum pervenitur et ad patrem pervenitur.
quia per equalem ille cui est equalis agnoscitur. vinciente et adglu
tinante (tamquam) nos spiritu sancto quo in summo atque incommutabili bono per
manere possimus. Ex quo intelligitur quam nulla res in via nos tene
re debeat. quando nec ipse dominus in quantum via nostra esse dignatus est tene
nos voluerit sed transire. ne rebus temporalibus quamvis ab illo pro sa
lute nostra susceptis et gestis hereamus infirmiter. sed per eas potius cur
ramus alacriter. ut ad eum ipsum qui naturam nostram a temporalibus li
beravit et collocavit ad dexteram patris provehi atque pervehi me
reamur. Omnium igitur que dicta sunt ex quo de rebus tractamus hec sum
ma est. ut intelligatur legis et omnium divinarum scripturarum pleni
tudo et finis esse dilectio rei. qua fruendum est. et rei que nobiscum
ea re frui potest. quia ut se quisque diligat precepto opus non est. Hoc ergo ut
nossemus atque possemus. facta est tota pro nostra salute per divinam providen
tiam dispensatio temporalis. qua debemus uti non quasi mansura quadam
dilectione et delectatione. sed transitoria potius tamquam via et tamquam
vehiculis vel aliis quorumlibet instrumentis aut si quid congru
entius dici potest. ut ea quibus ferimur propter illud ad quod ferimur diliga
mus. Quisquis igitur scripturas divinas vel quamlibet earum partem intellexis
se sibi videtur. ita ut eo intellectu non edificet istam geminam ca